



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Alia Christo. xvj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

Alia, Christo.

CAPVT

XVI.

Ex Hortulo  
animæ.Matt. 15.  
Luce. 7. 23.

**C**onditor cali & terra, Rex regū, & Dominus dominantium: qui me ex nihilo ad tuam imaginē & similitudinē fecisti, & sanguine proprio redemisti: quem ego peccator non sum dignus nominare: Te suppliciter oro, ut clementer me seruum tuum respicias. Misere mei: qui misertus fuisti mulieri Chananaea, & Maria Magdalena: qui pepercisti latroni in cruce pendenti, Parce mihi Domine: parce mihi Christo. Tu es Creator meus, & Redemptor meus: Rex meus, & Deus meus, Tu es spes & fiducia mea, vita & resurrectio mea: Domine, ne me despicias. Seruus tuus sum, quamuis malus: quamuis indignus: sed qualiscunque sum, tuus sum. Ad quem ergo fugiam, nisi ad te? Si tu me ciuis, quis me recipiet? Si tu me despicias, quis me aspiciet? Agnosce me indignum ad te confugientem: & propitius est mihi miserrimo peccatori. Dic anima mea, Salus tua ego sum. Amen.

Psal. 34.

Obsecrationes deuotissimæ, ad Deum Patrem.

CAPVT

XVII.

Ioan. Fisch.  
Epif. Ros.  
1. Ioan. 1.  
Rom. 3.

Esa. 43.

Esa. 9.  
Rom. 8.  
Ephes. 5.  
Esa. 53.

**D**omine ne in furore tuo arguas me: neq. in ira tua corripas me. Misere mei, misere mei, propter nomen tuum magnum. Et propter nomen sancti filij tui Iesu, quem misisti propitiationem pro peccatis nostris, per fidem in sanguine suo: propitius esto mihi peccatori, Ecce Pater sancte: ecce puerum tuum quem elegisti, ponens Spiritum tuum super eum: & mittens eum ut euangelizaret pauperibus, & sanaret contritos corde: ut consolaretur omnes lugentes, & predicaret captiuis indulgentiam. Ecce paruulum tuum, qui natus est nobis: cui etiam non pepercisti, sed pro nobis omnibus in mortem tradidisti, oblationem & hostiam in odorem suauitatis. Verè languores nostros ipse in corpore suo tulit, & dolo-

res nos